



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum iuramentum incautum sit obligatorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

tum de non contrahendo tenet. Minor supponitur, quia declarabitur. 4. lib. quare &c.

2 Ad idem quod dicitur extra de iureiurando, cap. verū, in ea questione. & ff. quod metus causa, ubi dicit iuriscōsultus, quod metus causa actū est, ratū nō habeo.

3 **C O N T R A**, iuramentū licite factum est obseruandum, sed iuramentū coactū potest esse licite factum, ergo est obseruandum. Maior patet. Minor probatur: quia iuramentum recte fit quando habet tres comites iudicium, iustitiam, & veritatē, sed ista possunt esse in iuramento coactō, quare &c. Ad idem est August. vt habetur. 22. q. vnde inter cetera. ex consilio beati Ambrosii.

4 **R E S P O N S I O**. Circa quæstionem istam præmittendæ sunt tres distinctiones, & deinde respondendum est ad quæstionem.

5 Prima distinctio est de iuramento, quod duplex est: iuramentum. I. assertorium & promissorium. Assertorium fit mere ad confirmationē veritatis præsentis vel præteritæ. Promissorium vero est quo quis se obligat ad aliquid in posterum faciendum vel nō faciendum. Secunda distinctio est de obligatione, & est minus propria quam prima, scilicet quædam est obligatio ad culpam, & hoc est in iuramento assertorio, si ei non subesse veritas. Alia est obligatio ad aliquid faciendum vel nō faciendum, & hoc solum respicit iuramentum promissorium. Tertia distinctio est de coactione, quia quedam est coactio simpliciter & nō cadit in actum voluntatis elicatum, neq̄ imperatū vt fiat a voluntate, quāuis possit cadere in actum imperatum vt nō fiat etiā voluntate ad illud mouente: sicut aliquis potest simpliciter cogi quod non iuret, quia potest ei lingua præcindi, sed nō potest cogi vt iuret vel etiam vt ambulet voluntate imperante. Alia est coactio secundum quid, quæ est per metum quæ potest cadere in voluntatem quo ad actus tam elicitos quam imperatos, tam in dictis quam in factis. sicut metu alicuius mali fit vel dicitur aliquid quod alias non fieret nec diceretur.

6 **H I S** præmissis cū queritur vtrum iuramentum coactum obliget, nō potest intelligi de coactione simpliciter, quia per talem nullus potest cogi ad iurandum: nec proprie potest intelligi de iuramento assertorio, quia obligatio proprie respicit futurum, iuramentum autē assertorium simul dum est, vel est licitum, sic quæ postea nō potest esse illicitum, vel simul habet culpam annexā: tota ergo dubitatio est de iuramento promissorio per quod homo dicitur obligari ad aliquid in posterum. De quo dicendum est quod tale iuramentum, aut est coactum per metum qui cadit in constantem virum, aut est per metum qui nō cadit in constantem virum: si primo modo sic nō est obligatorium in foro contentioso, quia cogenti nō competit actio contra coactum vt obseruet iuramentum. Cuius ratio est, quia plus nō debet patrocinari alicui violentia quā facit fraus & dolus per quæ decipit, sed fraus & dolus nemini patrocinantur contra deceptum, quia deceptis & nō deceptis iura subueniunt, ergo nec violentia patrocinatur alicui contra coactum.

7 Quantum autem ad forum conscientie tale iuramentum est obligatorium, si illud quod promittitur est licitum, & si ipse consensit in promissum quantumcumq̄ fuerit per metum coactus, quia pro nullo temporali debet aliquid facere irreuerentiæ dei, sed hoc fieret nisi impleteretur promissum, imō iurans consensit & iurando Deum testem inuocauit, igitur tale iuramentum quantum ad forum conscientie est implendum: nihilominus talis habet remedium, quia potest repetere in iudicio id quod coactus promissit & soluit, quod si iurauit non repetere, potest iudici denuntiare, & ille ex officio alium compellere ad restituendum, si verò iurauit nō denuntiare, tale iuramentum est illicitum, nec est obseruandum cum vertat in deteriorem exitum, vt pote existens contra iustitiam publicam & communem utilitatem: si autem iuramentum sit coactum per metum qui nō cadit in constantem virum, tunc tale iuramentum est obligatorium in foro conscientie, fortiori ratione quæ sit iuramentum coactum per metum cadentem in constantem virum. Et iterum: In foro contentioso, quia secundum iura talis metus nō iudicatur sufficiens ad aliquid cum iuramento promittendum.

8 Ad primum argumentū dicendum quando dicitur,

quod maior est obligatio matrimonij quam iuramenti, verum est, sed istæ obligationes non sunt eiusdem rationis, quia obligatio matrimonij est de præsentibus, obligatio autem iuramenti promissoriæ de quo nunc loquimur est de futuro, non solum autem in matrimonio, sed in aliis contractibus obligatio de præsentibus maior est illa de futuro, & ea tollit si sit ei contraria: & quādo dicitur in p̄nori quod coactio impedit matrimonij quoad forum conscientie, si tamen interueniat consensus interior licet quo ad forum ecclesie iudicaretur nō esse matrimonium, quia præsumitur defuisse consensus ubi coactio intercedit. Alij vero dicunt quod coactio per metum cadentem in constantem virum impedit matrimonij quantumcumq̄ consensus interior interueniat propter hoc quod matrimonium vt est sacramentum requirit indissolubilitatem inter coniuges, & quia consensus coactus impetrat restitutionem in integrum secundum iura, ideo talis consensus contrariatur matrimonio vel indissolubilitati matrimonij propter quod impedit ipsum, non sic autem est de iuramento promissorio, quia non est contra rationē promissi quod nunquam retrahatur.

In. 4. d. 29. q. 2.

9 Ad secundum dicendum est quod omnia illa iura loquuntur de obligatione quoad forū contentiosum in quo consensus coactus per metum cadentem in constantem virum impedit contractum. Argumenta verò in oppositum vel procedunt de obligatione quoad forum conscientie vel loquuntur de coactione per metum, qui nō cadit in constantem virum.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum iuramentū incautum sit obligatorium.

Thom. vbi supra ad. 2.

Tertio queritur, vtrum iuramentum incautum sit obligatorium. Et videtur quod sic: quia iuramentum quod potest seruari sine detrimento salutis est obligatorium, sed iuramentum incautum quandoq̄ est tale quod potest seruari sine detrimento salutis, ergo &c. Minor probatur, quia qui iurat se nō intraturū religionē, vel se nō seruaturum virginitatem incautē iurat, & tamen tale iuramentū potest seruari sine detrimento salutis, quia non est de necessitate salutis, nec virginitatem seruare, nec religionem intrare, quare &c.

2 Item plus debet vnicuiq̄ obesse culpa propria quam aliena, sed iuramentum incautum est ex culpa propria, iuramentum verò coactum est ex culpa aliena, cum ergo iuramentum coactum saltem per leuem metum sit obligatorium, videtur multo magis quod iuramentum incautum sit obligatorium.

3 **I**n contrariū arguitur, quia nulla res attingit propriam virtutem nisi cum est perfecta, sed obligatio est virtus iuramenti obligatorij, ergo nullum iuramentū obligat nisi sit perfectū: sed iuramentū incautum nō est perfectum cū non habeat tres comites saltem iudicium discretionis, ergo non est obligatorium.

4 **R E S P O N S I O**. Dicendum quod aliquid iuramentum potest esse incautum dupliciter. Vno modo ex parte obiecti: vt cum aliquis iurat id quod est de se illicitū, vel quod est impedimentū maioris boni, vt si aliquis iuret nō intrare religionē. Alio modo potest esse incautum ex parte motiui vt si aliquis iuret ire in aliquam peregrinationem sub conditione inhonestâ, puta si cōsequatur voluntatem de muliere non sua: de iuramento secundo modo incauto dicitur in sequenti quæstione, sed si iuramentum sit primo modo incautum, quia iuratur aliquid illicitum vel quod est maioris boni impedimentum, sic dicendum est quod tale iuramentum nō est obligatorium. Cuius ratio est, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, sed si iuramentum prædicto modo incautum esset obligatorium, tunc esset vinculum iniquitatis, ergo &c. Minor probatur: si enim iuramentum sit de illicito, & obliget ligat ad aliquid iniquum. Item idem est si fit de licito quod tamē est impedimentum maioris boni, quia minus bonum vt est impedimentum maioris boni habet rationē mali, ergo vt sic ligari ad tale bonū vt est maioris boni impedimentum est ligari ad malum. Est tamen aduertendum, quia vbi iuramentum promissorium est de illicito secundum se, NN 4 non

nō tamen obligatur homo ad id faciendum, sed tenetur nō facere: vbi autē iuramentū est de minori bono quod si fiat est impeditiū maioris boni nō ligatur homo ad illud faciendum si vult tendere in maius bonū, si tamen nō vult tendere nec intendit, potest licite minus bonū facere & ratione iuramenti tenetur, vt si aliquis iuret se ducturū in vxorem aliquā si vult intrare in religionē, non tenetur eam ducere, si tamen ducit eam, non peccat, & si nō intendit intrare religionem etiam tenetur eam ducere.

AD Primum argumen. dicendum q̄ iuramentū incautum per quod vouetur illud quod de se est illicitū, & iuramentū per quod impeditur maius bonum nō potest seruari sine detrimento salutis: non enim est solum in detrimento salutis actus quo promittitur illud quod dicitur esse contra salutē, sed omne illud quod est contra promotionē salutis, & sic est iuramentum de nō intrādo religionem, vel de nō seruando virginitatem.

AD secundum dicendū q̄ iuramentū quatenus est incautum solum ex culpa propria, quia factū est sine deliberatione digna, dummodo sit factū ex quacūq; deliberatione obligat iuramentū nisi natura rei promissū impediatur quatenus est illicita vel impeditiua maioris boni.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum iuramentū promissorium factū sub conditione inhonestā sit obligatorium.

Thō. 2. 2. q. 84. ar. 7. ad 3.

Quarto queritur, vtrum iuramentum promissorium factum sub conditione inhonestā sit obligatorium: verbi gratia aliquis iurauit se peregrinaturum ad sanctum Iacobum si prosperetur in furto vel homicidio, queritur postquam furtum commisit vel homicidium vtrum teneatur peregrinari ad sanctum Iacobum? Et videtur quod sic: quia iuramentum quod potest impleri sine detrimento salutis est obligatorium, sed tale iuramentū est huiusmodi, ergo &c. Minor probatur, quia peregrinari ad sanctum Iacobum postquam aliquis furtum commisit, non est contra salutem nec contra promotionem salutis, imo est magis promotiuum salutis.

Item illud quod de se est bonum, nec impeditur a sua bonitate dum impletur si sit promissum est soluendū, sed ire ad sanctum Iacobum de se est bonum si sit promissum sub conditione inhonestā: illa tamen conditio quando iam est impleta nō tollit bonitatem actus sequentis, quia iam transit malitia conditionis sicut & ipsa, ergo tale promissum est soluendum. Et confirmatur, quia canon dicit decima questione prima, capitulo secundo, q̄ ille qui dotauit ecclesiam & fecit eam consecrari appositā conditio ne q̄ res ecclesie nō esset sub ordinatione episcopi teneatur reddere quod promissit: quia promissum fuit bonum licet conditio nō esset bona, nec illud q̄ est bonū vitiat per malam conditionem appositam.

Item inhonestā conditio habetur pro nō adiecta in legatis & matrimonio, vt habetur in institutione, de legatis, paragrapho vltimo, & extra de conditionibus appositis in matrimonio, cā. vlt. ergo eodem modo in proposito conditio inhonestā debet haberi pro nō adiecta, & valebit votum sicut ibi stat matrimonium vel legatum.

IN CONTRARIUM arguitur per Iudo. qui dicit, & habetur in cā. 22. quæst. 4. in malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum, sed votum conditione inhonestā est turpe, ergo est mutandū & non implendum.

RESPONSIO. Questio ista similem dubitationē habet in voto & in iuramento promissorio, & ideo in eius processu quicquid prædictorum exprimitur non est vis, quia quod de vno dicitur, de alio similiter debet intelligi. Circa questionē istam procedetur sic: quia primo ponetur quedam opinio quæ nō videtur vera, & secundo ponetur illud quod credo verius.

Quantum ad primum sciendum est q̄ quidam dicunt q̄ votum vel iuramentum promissorium factum ex motiuo illicito quod est conditio inhonestā sicut in proposito questione, stante conditione est obligatorium & implendum, licet antequam conditio extet ille qui vouit vel iurauit debeat mutare propositum & velle conditionem non impleri, quia non impleta non tenetur ad votū,

quia non simpliciter vouit, sed sub conditione. Probat autem conclusionem principalem sic: promittens aliquid bonum & licitum sub conditione, illa conditione stante tenetur promissū implere, & sic est in proposito, quia promittitur peregrinatio quæ est de se bona & licita, & natura fieri ad honore dei, nec ad aliud promittitur: quia illa conditio inhonestā quæ apponitur nō cadit sub voto nec sub iuramento, quia nō promittitur, nec iuratur, quare &c.

Notandum tamen est (vt dicunt) q̄ implendo tale votum vel iuramentū est duo considerare, scilicet illud quod impletur & causam seu motiuum quare impletur: modū in proposito illud quod impletur est bonum in se, causa autem vel motiuum quare impletur, nō debet esse illa conditio inhonestā. s. quia furtum commisit vel adulteriū, vel homicidiū perpetravit, quia nullū tale obtinetur a Deo, eo q̄ Deus nō est author mali culpæ, sed solum debet impleri, quia obligauit se ad id quod de se est bonum & naturam fieri ad honorem dei, quantum conditio adiecta fuit inhonestā. Et per hoc respondet ad argumentū in oppositum dicentes, q̄ turpe votum est mutandum, quia si sit turpe ex eo q̄ promittitur nullo modo est implendum: vt si quis voueret se facturū adulteriū nullo modo deberet implere, si autē sit turpe ex conditione appositā tunc mutandum est, sic quod antequam conditio impletur, homo debet velle & dare operam quod non impletur. Et si impleta fuerit, nō debet complere votū ex illo motiuo inhonesto: quia illud quod vouit est licitum & ordinabile ad honorem dei.

Ista autem responsio videtur implicare opposita & repugnātia sibi inuicem in hoc quod dicunt q̄ tale votū non est obligatoriuū non extante conditione, sed solum ea extante: & q̄ impleta conditione votum non est implendum ex illo motiuo, scilicet quia conditio extitit, hæc enim duo non stant simul, vt videtur. Quod patet dupliciter. Primo, quia illud propter quod in nullo debet impleri votum nihil penitus facit ad hoc q̄ votū sit obligatorium, sed propter conditionem inhonestam quod extitit, nullo modo debet impleri votum, vt dicitur illi, ergo illa conditio extans nihil facit ad hoc quod votum esset obligatoriuū, cuius oppositū ipsi dicebant. Item refert facere peregrinationem & teneri ad eam faciendā ex præcedenti obligatione. Primum enim, s. facere gratis peregrinationem aliquam licitum est ei qui prius fecit tale votum sub conditione inhonestā, quia impleta conditione potest, si vult gratis vel ex nouo voto facere peregrinationem ad honorem dei, sed hoc non queritur, sed solum queritur vtrum ad eam faciendam teneatur ex obligatione præcedentis voti facti sub conditione inhonestā: & si tenetur (vt isti dicunt) impossibile est q̄ impleat votum nisi faciat peregrinationem ex malo motiuo, scilicet quia prosperatus est in furto vel in aliquo tali. Quod patet, quia secundum istos tale votum non obligat nisi extante conditione, ergo non fit ex obligatione nisi quia conditio extitit: si ergo talis facit peregrinationem, quia obligatus est, sequitur q̄ faciat eam quia conditio extitit, videlicet quia prosperatus est in furto, ex cuius furri euentu tota obligatio surgit in promissione, & sic patet q̄ illa duo dicta non stant simul.

Nunc restat dicendum illud quod videtur verius de questione. Circa quod fient tria, quia probabitur primo q̄ nullum votum conditionatum, nulla etiam promissione conditionata est obligatoria, nisi stante conditione quantum est ex natura voti vel promissionis. Secundo ponetur quedam conditio de conditione appositā in promissione vel voto, & tertio respondebitur ad questionem. Primum patet sic: promissio vel obligatio quæ totaliter confurgit ex mera voluntate promittentis non excedit limites voluntatis, sed votum & quæcūq; promissio merè voluntaria in obligatione confurgit totaliter ex mera voluntate promittentis, ergo non excedit limites voluntatis. Excederet autē si obligaret nō extante conditione, quia nō fuit voluntas promittentis se obligare nisi extante conditione, quare &c. Dico autē ex natura promissionis, quia in promissionibus, obligationibus, legatis, contractibus, quæ sunt hominis ad hominem iura possunt ponere vel